

V C  
5133





AD  
**SOLENNEM PANEGYRICUM**  
*SERENISS. AC CELSISSIMO PRINCIPI*  
*AC DOMINO,*  
**DOMINO**  
**JOHANNI GEORGIO III,**  
**DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ**  
**AC MONTIUM,**  
**SACRI IMPERIIENSIS ATq; ELECTORALIS**  
**PURPURÆ HÆREDI,**  
**LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MIS-**  
**NIÆ, BURGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI MARCÆ ET**  
**RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DYNASTÆ,**  
*PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISS.*  
**IPSIS GENETHLIIS PRINCIPALIBUS,**  
*D. JUNII VIDELICET XX.*  
 IN  
**ACROATERIO MAJORI**  
**DICENDUM,**  
**MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM,**  
**ET PROCERES UTRIUSQUE REIPUBL. AMPLISS.**  
**EA, QVA PAR, OBSERVANTIA**  
 INVITAT  
**FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ACA-**  
**DEMIA LIPSIENSI**  
**DECANUS.**





Aganitatis atque barbaræ superstitionis præ se ferre quidpiam videri possunt, qui, quâ Princeps recens natus indultus primùm ac commodatus terris est, diem communi quasi sorti exemptam, non votis tantùm atque gratulationibus, sed conviviis quoque ac muneribus, aliisque lætitiæ argumentis celebriorem reddunt. Barbarissimis certè gentibus tale quid observari, testis est Paulus Venetus de Monarcha Tartarorum, truculenti & à verâ religione quàm remotissimi populi, sic scribens: *Die Natali Regis Rex magnus Cham induitur aureâ veste pretiosissimâ, similiter omnes Aulici, quilibet optimis indumentis, quibus Rex donat aureas zonas & calceamenta de Camucofacta. Omnes Reges, Principes & Nobiles subditi mittunt Imperatori suo natalia dona. Astringuntur & omnes populi, cujuscunque sint fidei aut sectæ, sive Christiani sive Judæi, sive Saraceni, sive Tartari, sive Paganii reliqui, ut Deos suos solenniter invocent pro vita, incolumitate & prosperitate magni Cham.* Neque verò, frantiquissima tempora excutias, originem aliis id moris debet, quàm Ægyptiis, in multiplices superstitiones effusissimis,

lib. II. c.  
XIV.

Gen. XL.

(nam Pharaonem jam olim Genethlia celebrâsse, quis vel leviter in sacris volutatus ignorat?) unde velut ex scaturigine quadam consuetudo illa ad Persas, ad Græcos, tandemque ad Romanos quoque, Terrarum Dominos, dimanavit. Atque hi quidem, uti religioso Deorum cultu gentes quasvis de facili antistabant, ita Genio quoque, rerum gignendarum Deo, sacra faciebant quàm creberrimè, nec Urbis Natalem duntaxat, sed singulorum Genethliacas dies pulte, fritillo, mero, libis ac floribus, sine animali hostia (nam diebus illis effudisse cruorem aut animal mactâsse, mali portenti erat & fœdi auspicii) læti libentesque celebrabant. Solebant autem Imperatorum cum primis Natales habere festos, proque vita ac regimine illorum, inter vanissimas Ceremonias, solennissima vota nuncupare; quod honoris genus Julio, Augusto, Tiberio, Claudio, Caligulæ, Domitiano aliisque pluribus contigisse, par Historicorum Romanorum examuffitatum, Svetonius & Tacitus nos docet. Equidem non Ethnici tantùm, hucusque commemorati, sed Christiani etiam Natalibus celebrandis vacarunt olim, at-

lib. de Corona Militis.

Polydor. Virg. l. VI. de Invent. c. VII.

in Levit. c. 12. & 13. Homil. VIII.

que, ut Tertullianus attestatur, illis ipsis diebus oblationes fecerunt, in templisque unâ fuerunt epulati. At verò, cum luxuria magis magisque invalescens hunc quoque morem mirum quantum deturpâset, haut abs re in celeberrimo illo Niceæ Concilio decretum est, ut Christiani postmodùm à sacris hujusmodi gentilitatem redolentibus manum abstinerent. Et quandoquidem Genethlia non nisi à peccatoribus celebrata esse Scriptura memorat, eadem ne digna quidem homine Christiano Origenes jam ante Nicenæ Synodi Patres gravissimè censuit, cujus verba senio non est adscribere: *Et ut scias esse, in hoc grande nescio quid, & tale, quod nulli sanctorum ex sententia venerit, nemo ex omnibus sanctis invenitur Diem festum vel convivium magnum egisse in die natalis sui, nemo invenitur habuisse lætitiâ in die natalis*

*natalis filii vel filiae suae. Invenimus enim in veteri quidem Testamento Pharaonem Regem Aegypti diem Natalis sui cum festivitate celebrantem, in novo vero Testamento Herodem. Uterque tamen eorum ipsam festivitatem natalis sui profusione sanguinis humani cruentavit. Ille enim praepositum piscorum, hic sanctum Prophetam Johannem obtruncavit in carcere. Sancti vero non solum non agunt festivitatem in natalis sui die, sed & spiritu S. repleti, excerantur hunc Diem.* Verum enim vero, quemadmodum & alia Gentilium Sacra Deastris ceu injustis possessoribus erepta, sed ab omnibus paganitatis scoriis repurgata, in veri DEI Ecclesiam invexerunt Christiani: ita & vota pro genitis cum cognatis atque amicis, tum pro Principibus maxime, non Genio, sed vitae auctori unico nuncupant, Ambrosiani moniti non immemores, quo Natalem Diem non ludis voluptatibusve, sed precibus tantummodo agendum esse contendit. Etenim cum nullo non tempore preces fundere pro salute Principum teneamur, tum illam potissimum Die religiosissime id fieri fas & aequum est, quam primum illi hanc lucem, Divinam Indulgentiam obstetricante, aspexerunt; Si quidem abs natali die cum maxime felicitatis publicae Ordo dependet, non secus ac rotunditatem omnem nasci est puncto suo videmus. Ut rem adeo homine Christiano, nedum frugi Civis dignissimam faciant, qui Illorum, quos dispensandis Gentium fatibus beneficum Numen praeposuit, Natales votorum solennibus, quamta maximam hilaritate possunt, consecratum eunt. Quos inter nunc quidem facile omnium Devotionem antevertit Juvenis Nobilissimus ac Politissimus DN. CHRISTIANUS LUDOVICUS KÜHLEWEIN, L.L. Cultor strenuus, isque ex magno illo atque vix comparabili Saxonicae Domus ac Curiae Lipsiensis Conso, FRIDERICO KÜHLEWEINIO, quem gravi eloquentiam Periclem, Aristidem justitiam, probitate Phocionem, animique magnitudine Catonem sui temporis appellasset, prognatus. Hic enim, praeterquam quod cum quovis subditorum vota facere pro immarcescibili RUTAE SAXONICAE virore se obstrictum esse intelligit, singularissimae Gratiae illius, quam Celsissima Electoralis Domus pleno veluti cornu in KÜHLEWEINIAM Gentem effudit, probe memor, suarum partium esse, ex lege Gratitude, existimavit, in publica nunc exurgere jubila, Natalemque Serenissimi Principis ac Domini, DN. JOHANNIS GEORGII III, Ducis Saxoniae, Juliae, Montium, & Cliviae, quem Fastigii Electoralis Virtutumque Paternarum Haeridem florentissimum, universus Orbis submissè suspicit ac veneratur, solenni Panegyrico excipere; haut falsam persuasionem inductus fore, ut, quemadmodum gratiarum oblationes ulterioris munificentiae honestissima quaedam sunt aucupia, ita hoc veluti libamento in se quoque propitios *Illustrissima Domus* radios transducatur. Quam ipsam pietatem cum die Junii XX, mox venturam (Haec enim, haec, inquam, Lux annua est, quam ante viginti & septem hos annos sibi principem vitae habuit Princeps Celsissimae Gentis ac mentis) post VIII. matutinam in Acroaterio Majori solenniter sit executurus, Vestrum est, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, Vosque UTRIVSQUE REIPUB. PROCERES AMPLISSIMI,

FK 905133

Consolat.  
ad Polybi-  
um c. 31.  
& 32.

L. 4. Epigr.  
I.

MI, unà cum Nobili ac florenti Studiosorum concione ad sacra eadem confluere, partim ut Magni Parentis Filio non degeneri calcar ad summa quæque tentanda subjiciatis, partim ut votis, quod fas ac pium tantum non imperat, tum pro Serenissimo Principe JOHANNE GEORGIO III, Natalem suum celebraturo, tum pro Opt. max. Parente Ejus, JOHANNE GEORGIO II, Electore ac Nutritio nostro indulgentissimo, nepotibusque ejus illustrissimis JOHANNE GEORGIO IV & FRIDERICO AUGUSTO, novis illis spei nostræ præsidis, imò pro universâ Saxonica Domo nuncupandis, harmonico velut concentu conspiretis. Nos ex plusculis Veterum pro salute Principum precationibus eam, quæ apud Senecam extat pro Claudio, seligimus, paucisque in ea immutatis verbis pro Serenissimi Principis ac Domini nostri JOHANNIS GEORGII III salute sic supplicamus: *DEUS illum terris diu commodet. Ad hæc D. Augusti* (addo JOHANNIS GEORGII I, Avi gloriosissimi, cui felix animæ salus, felixque cum CHRISTO Rege Regum per secula cohabitatio!) *Et annos vincat, ac quamdiu mortalis erit, nihil ex Domo sua mortale esse sentiat. Rectorem* (olim post serissima JOHANNIS GEORGII II, Nutritoris Clementissimi Nostri fata) *Romano Imperio filium longâ fide approbet, Et antè illum consortem Patris, quàm successorem accipiat: Sera Et nepotibus demum nostris Dies nota sit, quâ illum Gens sua coelo asserat. Abstine ab hoc manus tuas Fortuna, nec in isto potentiam tuam nisi eâ parte, quâ prodes, ostenderis. Patere illum generi humano jam diu agro Et affecto mederi: patere, quicquid externorum furor olim concussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras Orbi refulsit, semper luceat, Et quidni nostrum faciamus politissimum illud Bilbilitani Vatis epigramma, quod Imperatoris Domitiani Natali consecratum est?*

*PRINCIPIS alma dies, Et luce sacratio illâ,  
Conscia Dictæum quâ tulit Ida Jovem,  
Longa precor, Pyliog, veni numerosior ævo,  
Semper Et hoc vultu vel meliore nite!*

FIAT!

P.P. IN Academia Lipsiensi d. XIV. Junii A.E.C.M. DC. LXXIV.

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



ULB Halle  
004 824 466

3



WDA







h. 4, 13.

Vc  
5133

AD  
SOLENNEM PANEGYRICUM  
SERENISSIMO PRINCIPI

JOHANNES  
DUCI SACRÆ

MARCGIO III,  
Æ, CLIVIÆ

SACRI IMPERII

ELECTORALIS

LANDGRAVIO  
NIÆ, BURGGRAVIO  
RAVENNENSIS

MARCHIONI MIS-  
COMITI MARCÆ ET  
DYNASTÆ,  
CLEMENTISS.  
PALIBUS,

PRINCIPI  
IPSIS

MAGNIFICENTISSIMO  
ET PROCELSSIMO

ORI  
RECTOREM,  
PUBL. AMPLISS.  
ANTIA

FACULTATIS

HICÆ IN ACA-



PONICKAVIANA

